



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 5. Urbanus VI. viginti novem Cardinales creat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

nignior erga suos aulæ Ministros esse
cæperat, eisque plura officia tum va-
cantia contulit.

§. V.

*Urbanus VI. viginti novem Cardinales
creat.*

Sancta Catharina Senensis, cujus
præcipuis curis Gregorius XI.
Romam rediit, Urbani electionem
Canonicam esse agnoscens, aperte ei-
dem sese addixit, deditque ad Caro-
lum V, quamvis irrito conatu episto-
las fervore ac zelo plenas, quibus Re-
gem, ut Clementis partes desereret,
eumque ad Urbani obedientiam re-
dire compelleret, adhortabatur; cum-
que sermone, ac spiritu potens esset,
ut in Papæ obsequio cunctos fide-
les firmaret, omnem navabat o-
peram. Scripsit quoque ad Urba-
num sex epistolas typis impressas,
quibus eum ad constantiam excitat,
& nimiam severitatem, qua sibi tot
inimicos accersivit, mitigare, ac quan-
tocius novum Cardinalium colle-
gium

gium creare suadet, & quidem talium, qui inter hosce turbines Ecclesiæ ædificium meritorum suorum fulcimento sustinere valerent. Igitur hujus sanctæ monitis acquiescens Urbanus, viginti novem creavit Cardinales diversarum nationum, quas sibi devincire studuerat. Horum viginti sex Purpuram acceptant, ceteri repudiant. Præcipui fuere Bonaventura Patavinus Ord. S. Augustini; Nicolaus Mesquinus ex Ordine FFr. Prædicatorum; Joannes Archiepiscopus Corcyrensis; Rainulphus de Monteruco nepos Cardinalis Pampilonensis, & Episcopus Segesteronensis; Philippus Alenfonius ex regia stirpe Gallorum oriundus, Agapitus de Columna, qui dignitatem, quam ab initio recusabat, propinquorum precibus devictus, acceptavit; Pileus de Prato Ravennatensis Archiepiscopus; & Galleotus Tarlatus de Petramala, patria Aretinus, & Protonotarius Apostolicus.